

3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10



THESES JURIDICÆ

De

# INJURIIS

QUAS

JUVANTE DEO!

SUB PRÆSIDIO

*Viri Consultissimi & Excellentissimi,*

DN. JOHANNIS REBHAN U.J.D.

ET INST. IMP. PROF. PUBL.

Præceptoris & Fautoris sui colendi,

*publicè in auditorio Ictorum  
disputabis,*

JACOB. ERNESTUS WEIMAR

Werthemio-Francus.

*d. j. Mens. Martij.*



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS ANDREÆ.

M. DC. XLV.

57.

*Jos. XXVI*

24

1645, 3.

olle  
chys  
ita-  
ct.  
gis  
di-  
en-  
8.  
at.  
jus  
ert.  
acos  
one  
  
pri-  
r vi-  
tum  
itur  
n(i)  
rito  
liti-  
nun-  
42.  
uam  
hat;  
atrr.  
men  
uper-  
lega-  
dicus  
dhue  
t he-  
onsti-  
uire  
ndo,  
o arg.  
upti-  
dot.  
is mi-  
ac ob-  
intra  
el ma-  
mifit.  
ttetur  
verius  
mare,  
l Divi-  
beni-  
esiam,





*ILLVSTRISSIMIS AC GENE-  
rosissimus Comitibus & Dominis  
DN. DN.*

**FERDINANDO CAROLO,  
IOANNI DIETERICO,**

*Comitibus in Levenstain/ Wertheimb/ Ro-  
schenforth / & Montagüe, Dynastis in  
Chaspier, Dominis in Scharpffeneck /  
Breyberg/ Herbimont & Reuerburgck etc.*

*Comitibus ac Dominis suis clemen-  
tissimis,*

*Primitias hasce Academicas*

*In sui suorumque studiorum  
recommendaationem*

*humilimè Consecrat &  
dedicat*

*Jacob Ernestus V Veimar.  
A. & R.*



A D

*Eximium ac Literatissimum Dn. Resp.*



Uid studij possit fervor, quē præbeat usū,  
Hæc tua, quæ profers, themata docta  
docent:

Testanturq; palàm, tibi successisse labores  
Non male privatos. Tu modo cæpta  
pari

Continues studio: magnique sequentur honores,  
Sponte favor meritis, sponte sequentur opes.

Inde simul chari Genitores, Patria, Amici,  
Innumeros fructus, gaudia mille ferent.

*Amicitia causa gratulabundus  
adijciebat*

Petrus Majer Feuchtvvangiô  
Francus.

**E**Rgò perge modò WEINMARE & fortibus ausis  
Pugna pro thesibus, sic tibi crescet honos,  
Magnus honos, tantùm letus fer pectus in hostem,  
Nam timidos fugiunt laureaserta viros,  
Gratulor idcirco Tibi de conamine pulchro,  
Et precor ex toto pectore fausta meo.  
His vive & nostri non obliviscere amoris,  
Namq; Ego te meritò semper honore colo.

Faustæ acclamationis ergò Dn. Resp. Sympatriotæ  
& amico suo delecto, dilecto, gratulans admo-  
dulabatur

*Johann- Wilhelmus Angelinus Wertheimiâ-  
Francus, SS. Th. Stud.*



**S**cilicet in studijs, Doctis Weimare laboras  
Probare diligentiam  
Nec non eorum dogmata  
De INIURIIS perpendere;  
Ut, quibus insultus dictis factisque parentur,  
Monstrare quondam nosceres  
In publicis Consilijs  
Quæis vindicent injurias.  
Perge modo, orando progressum dirige constans,  
Ut finis actum comprobet  
Tibique JOVA fortiter  
Expansa vela provehat.  
Quod superest, meritò successus gratulor, optans;  
Comes favorem ut ampliat  
In Te, Decusque patriæ  
Fias, patrisque gloria.

*debiti honoris ac amoris ergo suo φιλοτάλητα*

F.

Andreas Rhostius Merseburgô Misnicus  
SS. Th. Stud.

---

*Jacobus Ernestus Vimarus*  
*ἀναγερμ.*

*Ius benè curas, musâ vortis.*

**E**Ccè probaturus Curam, Musamque cathedram  
VIMARE ascendis, quæis pia cura colis.  
Quam benè, si curas, felici ut Iura Minerva  
Veritas, & vertis, justus ut ipsa colas.  
Pergito! Iura tibi sint cura, ea verte revertite  
Ut cura & cordi sis Patriæ atque Patri.

*appon.*

David Reifelius Siles.



JUVANTE DEO!  
THESES JURIDICAE

De  
INIURIIS.  
THESIS I.



Aturam non poenam hominēs ab injuriis invicē inferendis arcere debere, *Ciceronis* assertum est. Et certē, cum illa ad conservandam societatem, cui nascimur, inter omnes homines cognationem quandam constituit, nefas est, quibuscunque insidiis, alterum alterius vitæ, bonis, famæ, insidiari.

2. Verūm, ut naturæ mōnita apud perversos, invalescente malitiā, susque deque habentur; Ita conviciandi præsertim & calumniandi Cacoethes in summum usque petulantia, proh dolor! ascendit, sibi, quodque magis dolendum, ut plurimum bonos & probos calumniarum & contumeliarum objectum seligens.

3. Inde necessitas contra hos famæ violatores, defensionem suasit. Habet enim contumelia aculeum quendam, quem viri boni & candidi difficilimè pati possunt. Sed & hæc vindicandi licentia plerunque in sævitiam & in *ιαυβίσην* (quod inde in Proverbium abiit) degeneravit, ut sæpissimè

A

pissimè

pissimè ex privatis injuriis, pessimo more! etiam ad singulare certamen descensum sit.

4. Ad cohibendam itaque injuriantium talium malitiam, utque puniatur, qui ita deliquit, Populus Romanus ipse & per Prætores suos, certas Actiones, causæ hujus doloris persecutrices, introduxit, vicissimq; ad vindicantium iras compeffendas, Judicia & ad Judicem ire, constitui jussit. Ex quo mos ille (*qui à L. Corruccano apud Polybium, laudatur, optimus.*) in Republicâ Romanâ obtinuit, ut Injuriz publicè vindicarentur.

5. Id quod postmodum Christiani quoque Impprodesiderantes civium suorum invicem concordiam & benevolentiam, quæ non solum communis societatis vinculum; Verum etiam Christianismi fundamentum & testimonium est, eundem morem sua insuper auctoritate & constitutionibus confirmarunt, emendarunt.

6. Tanto enim minus illis subscribendum arbitror, qui suam suorumque injuriam lite persequi & vindicare Christianæ Religioni adversari dicunt; Quando magis litigium de Injurijs inter veros Justitiæ actus habendum, censeo. Licet nec hoc inficier, Injurias propter Christum condonare, & famæ suæ, virtute inimicum sibi reconciliando consulere, tam citra peccatum esse, quàm utique præstare. Cùm uti injuria non est faciendâ; ita nec cupidè vindicanda.

7. Ego veritatis & studij gratia utrumque, nempe & ipsam Injuriz illationem & illatæ injuriz vindicationem, hac vice paulò fusiùs disquisiturus, id præmittendum putavi. Insuper quod Injuriz vocabuli non eadem in Jure nostro sit significatio. Siquidè & *generaliter* sumitur pro omni eo, quod non jure, licet sine culpa aut dolo alterius fit. Ex quo etiam injuriam dici volunt, quod sine jure vel non jure



60.  
jure fiat, quasi non jura. *Specialiter* verò etiam damnum notat, quod nobis in rebus nostris culpa alterius infertur, ut in *l. Aquilia*. Sic injuriam quoque accepisse dicitur, is, contra quem Prætor vel Judex non jure pronunciat. Sciens alias abusivas planè hujus vocis acceptiones, silentio involvo, & ad Lexicographos me remitto.

8. *Propriè* autem & secundum usum juris vocabulum Injuriam, ( *quo in significato & ego eam hinc accipio,* ) idem est ac contumelia, quæ se à contemptu derivat, eo quod verberando, vel pulsando, vel conviciando, non tam injuriantis animus, proximum contemnens, quam injuriati ostendatur & inducatur contemptus. Unde etiam Contumelia rectè à *Philosopho* definitur: Detrimentum, quod ei qui patitur, dolorem inurit cum verecundia, solumque voluptatem adfert auctori.

9. Ex quo etiam injuria definitur: Quod sit privatum delictum ordinarium, dolosâ contumeliâ, in alterius corpus, dignitatem famamve commissum. Nisi enim dolosus animus inferendi contumeliam & per eam ægrè alteri faciendi adest, hoc delictum non est perpetratum, hâcque formâ & fine à reliquis delictis & privatis & publicis, in quæ sæpissimè coincidit, differt.

10. His generaliter cognitis, incipiente me nunc supra notata membra exponere, & primùm quidem ea, quæ concernunt injuriæ illationem: Considerandæ veniunt, & *res ipsa & persona*, tam eorum qui faciunt injuriam, quam qui illam patiuntur.

11. *Rem* ipsam quod attinet, *Injuria* alia fit re, ex qua etiam *Realis* dicitur, alia verbis, quæ exinde *Verbalis* nuncupatur. Item pro ratione circumstantiarum, alia injuria habetur levis, alia verò atrox ( *quæ etiam major, contumeliosior, gravissima dicitur* ) æstimatur & vocatur,

A 2

12. Re

12. Re fieri vel *Realis* dicitur injuria, vel *proprie* vel *minus proprie*. *Proprie* realis est, quæ in corpus, aut alicujus domo vel bonis, aut gestu infertur. *Minus proprie* est, quando factio, quod quidem non per se, sed ex continuati-  
one & usu verborum accedente, præ se fert contumeliam, e.g. si quis matremfam: fuerit adsectatus, seu potius affectatus, (quod verbum cum *Veneris* sit & ad concubitum conciliare velle, *Veneris* res alicui propinare, significet, parum abest, ut in §.1.1. de Injur. ita legendum dicam) Conferatur C.I.A. 47. ff. 10. th. 4. Petr. Theodor. in coll. crim. disp. 2. th. 6. lit. f. ubi, an osculum dans injuriarum teneatur? disputant.

13. *Verbalis* injuria dicitur, quando manus non inferuntur, aut aliud ejuscemodi contumeliæ factum admittitur, sed quæ vel dicto sive voce, vel scripto (sub quo etiam pictum intelligimus.) fit.

14. *Dicto* autem injuria facta, dicitur, quando quis dolo malo & diffamandi causa, voces contumeliosas in aliquem evomit, veluti: si quis aliquem Nebulonem, furem, scurram, &c. esse, increpet & diffamet, Videatur C.I.A. d.l. th. 5.

15. Sed quid, si quis illegitimè natum, à Principe autem natalibus restitutum sive legitimatum, Bastardum vel Spurium vocitaret? Sanè hic non tantum injuriam ejusmodi legitimato infert & ob eam ab illo conveniri potest. Verum etiam incurrit in poenam Legitimationis Instrumento insertam. Id quod etiam in eo, cui quis crimen, à Principe remissum, objicit, obtinere, arbitror. Gail. 2. de PP. 19.

16. An etiam pro injuria habendum, si provocatus adversario respondeat: *Tu mentiris*. Dd. disputant. Puto, quod si provocatus hætenus se defendere & ne sibi famæve suæ nocitum sit, hac ipsa responsione, cavere voluerit, potius

67.

potius sit, ut ei ignoscatur. Quod si verò animo vicissim injuriandi, ( qui ex adjectis verbis, ut si dixerit: mentiris ut fur, ut adulter, plerunque præsumitur ) talia retorferit, justius est, ne excusatus habeatur, etiam si cum reservati honoris protestatione ita responderit, cum admissum contrariam protestatione voluntatem declaret.

17. *Scripto* fit injuria, quando quis dolo malo, suo vel alieno nomine libellum, carmen aut Historiam aliquam in contumeliam alterius cujuscumque, scripserit, composuerit, ediderit, aut ut tale quidpiam fieret, fecerit, procuraverit. *Conferatur C. I. A. d. l. th. s. n. 3 & seqq.*

18. Atque huc etiam pertinet *Libellus Famosus*, quem hodie vulgariter Pasquillum vocant. Dicitur autem libellus Famosus, non quod revera infamiam inurat, sed quod hoc injurians, quantum in se agat & intendat. Estque scriptura, qua alicujus infamandi causa, grave aliquod & famosum delictum alicui dolo malo obijcitur & adscribitur. Quo ipso etiam famosus libellus ab aliis injuriis scriptis distinguitur, injuria enim scripta est, quæ quidem contumeliam facit, non tamen obijcit tale quid, ex quo sequeretur infamia, ut si quis coeculus, claudus, Fatuus &c. aliove contumelioso nomine, ludibrii causa, scripto carmine, cantilena, appelletur.

19. Ubi & id in disquisitionem venit, an is, qui quidem libellum famosum non composuit, sed ab alio compositum casu invenit, eum autem non statim laceravit vel delevit, sed dolo malo manifestavit & alijscum communicavit, criminis hujus famosi libelli Reus fiat? Et fieri eum, arbitror. Non autem illum, qui nec autor nec inventor libelli, sed ab alio ex curiositate accepit, ut exemplum inde sumeret, retinendi, non divulgandi animo, hunc enim extra talem noxiam esse, cum *Menchio, arb. Jud. quest. cas. 263. n. 48. respondeo.*

A 3 20.

20. Quod insuper dixi, aliam injuriam ex circumstantiis levem dici, aliam atrocem, notandum, illas circumstantias non tantum desumi & æstimari ex *facto ipso*, scil: si quis ab aliquo vulneratus, fustibus cæsus, aut os alicui ruptum sit, aut *lesionis magnitudine*, scil. si vulnus injuriosè inflictum magnum & periculosum sit.

21. Verum etiam *à loco*, cum ratione corporis cui injuria fit, ut: si quis in oculo percussus fuerit. tum ratione loci, ubi fit. e.g. si cui in theatro, in foro, templo, vel in conspectu Prætoris injuria facta sit. Et *à tempore* veluti, si quis interdum conspiciente populo, vel in convivio, injuria à quopiam afficiatur.

22. Præcipuè autem atrox injuria æstimatur ex *Persona*, cui injuria fit, ut: Si Magistratus à subdito, Pater à filio, Patronus à liberto, Præceptor à discipulo &c. fuerit percussus. Semper enim per dignitatem injuriam perferentis, crescit culpa facientis.

23. Ex quibus cum appareat, quæ sit atrox injuria, facile etiam quænam injuria levis dicatur, cognosci poterit. Quæ enim injuria atrox non est, illa ut levis sit, necesse est. Et hæc de re ipsa.

24. *Personæ* quæ hinc in considerationem veniunt, sunt vel quæ *Injuriam faciunt*, vel quæ *Injuriam patiuntur*. Et *facere* possunt *Injuriam* omnes illi, qui injuriam etiam possunt pati. Et non tantum unus, verum etiam plures. Quot enim personæ injuriam faciunt, tot etiam sunt injuriæ.

25. Sed cum in inferente injuriam sive faciente præcisè dolus malus requiratur. (Siquidem injuriæ formale in dolo & affectu facientis consistit, & sine hoc injuria non committitur.) Injuriam fecisse dici non possunt, illi in quos dolus non cadit, qualis est furiosus & impubes, qui  
fraudis

02  
fraudis capax non est. Neque etiam is, qui vel dixit vel fecit aliquid, quod quidem per se injuriosum, at non ex proæresi & affectu injuriandi, sed potius animo vel corrigendi, jocandi, &c. profectum est. Quid si quis cuiquam verum quoddam crimen, sine & animo, ut illud reveletur, Reipubl. intersit ut detegatur, obijciat illud etiam postmodum legitime probat, an injuriam intulisse dici possit? quæsitus responderem quod non *per ea qua tradit Gail. 2. obs. 99. D. Locamer. quæst. Justin. 346.* secus si injuriandi consilio & animo, cum aliud sit, *ut Cicero pro M. Cælio ait*, maledicere & aliud accusare, illa enim nihil habet propositi præter contumeliam.

26. Horum tamen Reus, se tale quidpiam, quod sua natura contumeliosum, non injuriandi animo dixisse vel fecisse, probare tenetur, & ut semper præsumtio contra illum est. *Coppen. 2. obs. 81.* ita probatione deficiente succumbit. An autem reo Juramentum purgatorium deferri possit? explicat *Petr. Theodor. d. disp. th. 17. lit. a.* nec refert, suo proprio motu & per se, an ab alio incitatus, aut per alium injuriam quis alteri fecerit, si ipse dolosum injuriandi animum habeat.

27. Quemadmodum autem ex animo facientis injuria estimatur; Ita etiam certo respectu ex animo patientis. Licet enim facientis animus sit injuriam inferre, nisi tamen patiens eam ad animum revocet, injuria quidem est, sed effectum non habet, ita ut hactenus nulla videatur esse injuria. Volenti siquidem nulla fit injuria.

28. Et *patiuntur injuriam*, non tantum qui eam inferre & facere possunt, h. e. qui doli sunt capaces, verum etiam qui injuriam non facere possunt nec doli capaces sunt, ut sunt: Impuberes, furiosi, etiam mortui, *Conferatur C. l. A. d. l. th. 10.*

29. Insuper non tantum cum ipsimet alicui patri-  
fam.

fam. & directò injuria infertur, h. e. ut cum Imp. loquar, patimur injuriam non solum per nosmetipsos, verum etiam per alios pati videmur, quando ea per consequens in nostram contumeliam redundat, ut puta, per eos quos in potestate nostra habemus, hisce enim illata injuria etiam ad nos spectat.

30. Potestas hæc vel est maritalis vel patria vel Dominica: In maritali potestate habemus uxores nostras, quas contra diffamantes à Viris defendi æquum est. Non e contra, Viri ab uxorib<sup>9</sup>, quavis & hoc Dd. limitent in casu injuriosæ mariti incarcerationis, ubi ipse jus suum persequi nō potest, quod etiā Cam. Imp. observare, testatur *Dambouder in pract. crim. c. 80. n. 28.* Item si cadaveri viri, cui uxor heres extitit, injuria facta. Id quod etiam obtinet in sponsa.

31. In patria potestate sunt liberi nostri, qui si (horumve uxores) injuria afficiantur, eadem etiam ad nos spectat, Ita ut licet filius remiserit injuriam, tamen patri integra remaneat actio. An autem Pater in præjudicium filij, eo invito, eam remittere possit? *Videre est apud Fachin. 11. contr. 42. P. Theodor. d. disp. th. 18. lit. C.*

32. Ob Dominicam potestatem, si in servum atrocius quid (*Nam aliàs de Iure Rom. servis ipsis nulla injuria fieri intelligitur ut Dominis aut servis de ea agere liceat. Quamvis à Pratore inulta non sit relinquenda. Nec enim obstrictam disputandi rationem talia delicta ab animadversione exempta habenda.*) fuerit admissum, quod apertè ad contumeliam Domini respicit, injuriam talis ad Dominum spectat, non tantum eum, cujus servus plenè est, verum etiam qui cum alio habet communem, (ubi tamen injuriæ æstimationo non ex partibus Dominicis, sed ipsis Dominorum personis facienda. Singulorum enim est injuria) Sane usufructuario servo, item servo alieno, liberove homini bonâ fide

na fide cuiquam fervientibus, si injuria facta, in dubio ma-  
gis est, ut proprietario, & ipsi libero homini injuria facta in-  
telligatur. *De Extensione Interpp. ad Subditos, Vasallos, con-  
sulipossunt. Husan. de serv. & hom. propr. q. 4. Gail. 1. obs. 125.  
n. 4. Schrader. de Feud. p. 6. c. 7. in fin.*

33. Coeterum, licet injuria Genero, vel Socero, item  
Vitrico, vel Privigno, item Consobrino, alijsve cognatis,  
etiam Affinibus illata, suo modo quoq; reliquos de fami-  
lia contaminare videatur; Attamen ex ea Conviciatori-  
ste illis civiliter non obligatur, quamvis agente ex ea co-  
gnato vel affine nostro, cui injuria facta, placuerit ob hoc  
testimonij dictionem & adjudicationem impediri. Et  
hæc, pro Instituto, *de Injuria illatione*, notasse sufficiant.

34. Sequitur alterum hujus Disquisitionis membrū,  
Consideratio, nempe, *Vindicationis illata injuria*. Vindi-  
cta refertur ad injuriam, perinde ac reconciliatio ad  
pacem. Nulla enim vis est magis arcens homines ab omni  
improbitate, quam si senserint, nullum delictum relinqui  
impunitum. *P. Gregor. 3. Syntagm. jur. 38. c. 1. n. 18. H. Pistor.  
obs. 21.* ubi etiam disputat: An judex ex officio injuriantem,  
nemine accusante, punire possit?

35. Hæc licet ex consuetudine locorum, vulgique opi-  
nionem constet, Non tamen probanda ea cura vindictæ, ut  
hæc gravior sit quàm injuria. Ulciscamur eos qui nocere  
nobis conati sunt, tantaque pœna afficiamus, quantum  
æquitas, humanitasque patitur.

36. Sanè *ll. 12. sabb.* licet ex per paucas res capite san-  
xerint, tamen, si quis occentasset, carmenve condidisset,  
quod alteri infamiam faceret, capitale esse jusserunt, quas  
ex hoc etiam laudat *Cicero*, hanc subjungens *ἔμνησται* &  
rationem: præclare, Judicijs enim, *inquiens*, & magistra-  
tuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non

B Poëtarum



poëtarum ingenijs, habere debemus: nec probrum audire, nisi ex lege, ut respondere liceat & iudicio defendere.

37. Si verò reali injuria quis alterum offendisset, & quidem membro rupto, Talionem obtinere. (*convenienter ipsis ll. Mosaicis*) ubi verò os tantùm fractum h. e. depalatum erat, pecuniariam (*viginti scil. quinque assium, secundum Interpp. comm. quamvis Guinet. in vindic. pact. p. 1. §. 4. putet in seruo 50. in libero 300. assium fuisse.*) poenam esse, constituerunt. Sed cum hæc propter exiguitatem, crescentibus Romm. divitijs, susque deque habebatur, nec Talio (quam pactio intercedens plerunque excludebat.) etiam frequentabatur, poenæ hæc in desuetudinem abiierunt. *Conferatur P. Gregor. 3. Syntagm. Juris. 38. c. 6.*

38. In quarum vicem successerunt Actiones injuriarum, ex Jure Civili per L. Corneliam quidem in tribus tantùm casibus, nempe, obpulsionem, verberationem & violentam domus nostræ introitionem. Ex Edicto vero Prætoris, pro quacunque injuria, Ex constitutionibus, pro libello famoso, datur actio criminalis. *Plura vindicandæ injuriæ remedia recenset, C. 1. A. d. l. th. 36. ubi videre licet.* Sic & moribus nostris, consuetudineque, Actio ad Palinodiam & Retorsio invaluerunt. Ita ut injuriæ vindicatio, haud inconyenienter in privatam & publicam à quibusdam dividatur.

39. Et privata Injuriæ vindicatio ea dicatur, quando quis propria auctoritate injuriam sibi illatam, in contumacem, honoris sui tuendi gratia, in eum, à quo accepit, rengerendo & retorquendo, propulsat.

40. Nam non tantùm omni Jure vim vi repellere licet; Verùm etiam concors est Dd. opinio, in verbali injuria humanius esse, non tam ignoscere ei, qui provocatus se hactenus defendere voluit, non ut alterum rixandi studio deformat



deformet, sed ne sibi nocitum sit, caveat; quàm admittere, ut liceat injuriam sibi factam, incontinen- di retorquen- do, quasi declinare, ne probrum ullo momento agnovisse videatur. Non oportet malè dicere, remaledici verò civile & fas est, ait Sueton. in Vespasian. c. 9. conferatur Gail. 2. observ. 100. n. 9. Mynsing. 5. obs. 17. VVurmser 1. tit. 47. obs. 18. C. I. A. d. l. th. 19. & seqq. ubi tutissimum retorquendi modum hunc esse, docet, si injuriatus per Notarium & testes, ad minimum duos, conviciatori, Retorsionis libellum insinuet, sicque eum mendacij arguat.

41. Publica verò vindicatio injuriæ est, quæ fit autoritate publica, sive instituta coram Judice injuriarum actione. Facta enim injuria, nisi legitimis modis ea fuerit extincta, nascitur injuriarum actio.

42. Illam hinc expendo, cum in modo instituendi, tum in ratione eam probandi. (cum enim ex supra dictis jam constet, quibus & contra quos, injuriã illatã vindicare liceat, eadem etiamnum repetere, çrambenq; bis coctam reapponere, ipsemet nauseo.)

43. Instituitur autem injuriarum actio vel civiliter vel criminaliter. Civiliter injuriarum agi dicitur, quando Actor injuriam sibi illatam æstimat, (*quæ æstimatio injuria non ex eo tempore, quo judicatur, sed quo facta est injuria, referri debet.*) ac certam pecuniæ summam, pœnæ loco Reo imponi, sibi que (*salva tamen judicis moderatione & taxatione.*) adjudicari, intendit. Videatur Gail. 2. obs. 101. Cöppen. 2. obs. 83. quam si Reus propter inopiam solvere nequeat, ne pœna eludatur, æquum est, ut in corpore luat. C. I. A. d. l. th. 28. n. 14. & seqq.

44 Criminaliter autem agitur, quando Actor, ommissa æstimatoria injuriarum actione, Reum arbitrio Judicis, vel in corpore puniri, vel in pœnam pecuniariam fisco inferendam,

B 2 ferendam,

ferendam, (pro modo scil. delicti & dignitate personæ, ob quam humiliores plerunque fustigatione, etiam morte, si injuriæ atrocitas poenam hanc sibi depostulet. *C. I. A. d. l. th. 29. n. 6.* cœteri exilio temporali vel relegatione, vel ab officio remotione plectuntur, *Mynsing. 2. obs. 22.*) condemnari petit.

45. Utroque tamen hoc modo simul experiri & eandem injuriam vindicare, non licet, quemadmodum etiam, quando civiliter jam de Injuria actum fuit, criminaliter amplius agi non potest, & e contra. Cum utroque modo vindictam intendamus & exerceamus.

46. Palinodia (*sifides Bachovio 1<sup>cto</sup> nominatissimo, habenda*) vulgi errore, quo existimatum fuit, per injurias illatas honorem & famam alterius lædi, quæ per recantationem hanc quodam modo restituatur, primitus coepit. Ea enim injurians publicè confitetur, declarat, & dicit, verba talia injuriosa (*questionis scil.*) à se inconsultò, perperam & contra veritatem prolata esse. Hodie, ex quo Carolus V. Imp. in Ordin. Cam. par. tit. 28. §. vnd sonderlich. vers. doch sollen die sachen injuriarum. &c. eam comprobavit, jure obtinet.

47. Atque, cùm secundum communem & in Cam. Imp. receptam opinionem, quam testantur, *Gail. 1. obs. 65. Mynsing. 2. obs. 98. n. 9. Cöppen. 2. obs. 84.* Civilis habeatur, cumulari cum civili injuriarum actione potest, id quod ipse etiam usus quotidianus comprobat & ostendit.

48. Circa rationem probandi observanda sunt duo hæc, nempe ut Actor probet. 1. Factum & dictum vel scriptum injuriosè ipsi à Reo illatum. 2. quod animo & affectu injuriandi sit illatum. Fons siquidem præcipuus censendarum & vindicandarum injuriarum ex facto ipso & animo facientis derivandus. Prius Testibus aut scriptura proban-

05.  
probandum. Posterius ex facti qualitate & verborum col-  
ligendum. Quorū quidem uti quilibet est interpres & ejus-  
modi interpretatio civilior recātationem aliquam sapiat.  
Attamen si ea manifestò frivola sit, & ludibriosa, tantæ  
malitiæ non puto indulgendum, minus eam admitten-  
dam.

49. Unde *quæsitus* de facto, quo *Officialis quidam Do-*  
*mino suo, condominum alterum non tantum injuriosè & per*  
*mendacium detulerat, quasi hic reditus alterius, sibi exegisset;*  
*Verum etiam in literis ad ipsum Condominum immediatè da-*  
*tis & directis, idem repetierat, his ferè verbis: Hingegen solt*  
*len Jhro Gr. Gn. Wegen der in B. eigenthatiger weiß-*  
*erhobenen vnd meinem Gn. Gr. vnd Herrn gehörigen Pres-*  
*vel-geldern etc* si responderit: *Officiale* à condomino,  
ob delationem hanc injuriosam & diffamationē, simulta-  
tatum perniciosarum inter condominos, ad tales aliàs  
pronos, conciliatricem, (quæ etiam conjectura *Officialis* i-  
stius injuriandi animum satis ostendebat,) injuriarum con-  
veniri posse, ejusq; horum verborum interpretationē, quod  
nempe, participium *erhoben*/ indefinite positum, de quo-  
vis potius tertio & individuo vago, illimet ipsi scribenti  
ignoto, quam de condomino, ad quam tamen literæ dire-  
ctæ & immediatè datæ erant, nullumque aliud subjectum,  
ad quod referri potuisset, quàm condominum, habebant,  
intellectum velit: tanquam manifestò illusoriam & calu-  
mniatoriam, eum à dolo non excusare. arbitror eum rectè  
& de Jure respondisse.

50. Extinguitur autem injuria, seu potius injuriarum  
actio, varijs modis. Siquidem non tantum 1. Satisfactio-  
ne, quatenus omnia judicia sunt absolutoria & satisfactio-  
ne injuriato facta, nihil sit, quod de injurijs conqueratur,  
qui eas passus est, 2. Pacto *Videatur quem supra notavi*

*Guinet. dict. loc. 3. Transactione, Carpzov. in prax. crim. pag. 2. quest. 94. num. 84. 4. Remissione, tacita & expressa. Licet enim aliàs actio, nuda creditoris voluntate non tollatur, imò ne pacto quidem ipso Jure, tamen favore conservandæ concordiaë hoc introductum, cum aliàs etiam ex injuria illata actio non nascatur, nisi quatenus ad animum revocata. Sed quid, si ægrotus animi rancorem remisisset, an possit denuò reconvalescens injuriarum agere? Negarem cum Bachov. in comm. ad §. final. I. de injuriis n. 2. Conferatur Vesemb. cons. 161. Mynsing. 4. obs. 10. ubi tamen docet: quatenus remissa injuriâ, damna quoq; & interesse remissa censeantur. Conferatur etiam P. Gregor. d. l. c. 1. n. 17. & c. 7. n. 12.*

51. Verùm etiam 5. dissimulatione injuria aboletur. sciens, quando quis injuriam non curat, nec intra legitimum tempus ad animum revocat, sed pro nihilo habet, id quod colligitur ex ultronea familiaris conversationis continuatione, amica salutatione, convivatione, actibusque amicorum similibus. Videatur Grotius. 3. de Jure B. & P. 24. num. 6. Ita ut ex poenitentia, postmodum dissimulata injuria recoli & vindicari non possit. Cum enim ll. 12. tab. hanc actionem pacto tolli posse, constitutum sit: Jcti dissimulationem pro tacito pacto sunt interpretati.

52. Et 6. Præscriptione annorum 30. si ex l. Cornelia, ll. 12. tabb. Scto de Injuriis & Constitutionibus injuriarum agatur. Mynsing. 1. obs. 84. & 5. obs. 7. n. 8. Gail. 2. obs. 104. Unius verò anni (an continui, utilisve? docet C. I. A. d. l. th. 32.) si ex Edicto Prætoris injuria, tam quæ in literis sive scripto, quàm quæ verbis facta, Hart. Pistor. obs. 9. VVurmser. 46. obs. 11. Fachin. 9. controv. 9. vindicetur. Conferatur H. Hartm. 49. obs. 2. VVurmser. 46. obs. 1. Mynsing. d. l. n. 2. Unde

Unde etiam Actio famosi libelli verius perpetua dicitur, quamvis usus & consuetudo in contrarium annalem tantum terminum, (forsan abbreviandarum litium gratia) eidem constituat. *Qua de re consuli possunt Gail. 2. obs. 104. Fachin. 8. controu. 9. Hartm. Pistor. 4. quest. 20.*

53. Morte quoque velejus, qui passus est injuriam, velejus qui fecit, injuria tollitur. Injuriarum enim actio neque in heredem neque heredi datur, nisi litis contestatio obitum præcesserit & civiliter actum fuerit, ubi reassumpto processu, etiam injuriati heredes injuriarum actionem profecui possunt, adversus heredes injuriantis. Quod si verò criminaliter fuerit actum, morte Rei Actio injuriarum planè, etiam lite jam contestata, perimitur.

54. Non tamen tollitur injuriarum actio, per conviciatoris poenitentiam. Sane si injuriolæ leviores sint & ab ebrio, post edormitam crapulam seriò poenitente, commissæ, puto humanius esse, eam admittere, *Clarus §. fin. q. 6. n. 12.* Sint minimæ injuriæ sine poena, nec lubricum tantum, linguæ, ad judicium statim trahendum, nec verba irati, ebrijve nimium aut paulò post dictorum poenitentis. *Verba sunt P. Gregor. d. l.*

55. An autem per injuriati in continenti factam retorsionē injuriæ. e. g. si reus excipiendo diceret: Tu injuriam quam nunc judicialiter per se queris, retorquendo vindicasti, dicatur actio injuriarum elisa? Dubito, quorumcunq; etiam exemplorum memoriam, ubi retorsio absorpsit actionem, jactet, *Winter. in Assessore suo sup. cit. loc.* An invicem compensentur injuriæ? *Videre est apud Hartm. Pistor. observ. 181.*

56. Quod si Reus motam injuriarum actionem non eliserit, Judex pro injuriæ qualitate, injuriam æstimat *Conferatur. th. 44.* & quidem ubi civiliter actum, per interlocutori-

m.  
ex-  
in-  
en  
a-  
us  
co-  
um  
ejn-  
ubi  
esse  
.17.  
tur.  
giti-  
t, id  
con-  
acti-  
3. de  
mo-  
pos-  
tollit  
cito  
nelia,  
uria-  
f. 104.  
l. th.  
s five  
mfer.  
ratur  
l. n. 2.  
Unde


cutoriam Actorem jurare facit, quod summam taxatam non habere malit, quàm illam injuriam pati. Quod Juramentum etiam defuncto injuriato, ejus heredi deferri potest. Ubi verò criminaliter actum est, ibi Judex ex officio pro suo arbitrio poenam Reo irrogat.

57. Quocunque autem horum modo quis de injuria illata (modo illa non sit planè modica) conveniatur, si condemnetur suo nomine, infamis fit, nisi expressè in sententia honoris & famæ reservatio annexa sit, *Gail. 1. observ. 65. num. 5.* plerunque etiam hodie in Judiciis hac cautela utuntur, ne quis ipse, sed per procuratorem litiget, ut ita in hunc sententia lata infamia evitetur, quod fieri posse, docet *Gail. 2. obs. 102. n. 1. VVurmbser. 1. tit. 47. obs. 5. n. 1. Treutl. 1. disp. 9. th. 10. lit. f.*

58. E contra autè, si justis exceptionibus & defensionibus injuriarum actio fuerit elisa, Reus omninò absolvend⁹ est, in tantum, ut si fortè Actor in evidenti calumniaprehendatur, Judex eum, extraordinem, convenienti poena plectat. *C. l. A. d. l. th. 29. n. 1.* Sit Colophon, elegans *P. Gregorij Icti Tholosani* monitum: Prospicere, *dicit*, debent Judices, ne quis temerè injuriarum actione alios conveniat, ut plerique pauperes improbi, qui calumniantur se injurijs affectos & sæpè procurant affici, ut pecunias extorqueant & divexent litibus probos. Et hìc  
sint disquisitionis meæ terminalia.

SOLI DEO GLORIA  
IN SEMPITERNA SECVLA.







X 2615889

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

THESES JURIDICÆ  
De  
**INJURIIS**  
QUAS  
*JUVANTE DEO!*

57.  
*Josep XXX*  
24  
1645, 3.

SUB PRÆSIDIO

*Viri Consultissimi & Excellentissimi,*

DN. JOHANNIS REBHAN U.J.D.  
ET INST. IMP. PROF. PUBL.  
Præceptoris & Fautoris sui colendi,

*publicè in auditorio Ictorum  
disputabit,*

JACOB-ERNESTUS WEIMAR  
Werthemio-Francus.

*d. i. Mens. Martij.*



ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS ANDREÆ.

M. DC. XLV.

